



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 262. Et posuit eum in momumento quod erat excisum de petra. v. 46.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

actu corporis Dominici sacratam veneror & honoro, & mecum omnes amantes Dominum inuito, vt dicamus pariter.

**D**omine Deus, qui nobis in sancta findone, qua corpus tuum sacratissimum, de cruce depositum, à Ioseph inuolutum fuit, passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, vt per mortem & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur.

§. 262. *Et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra. v. 46.*

Agnosco modum & ceremoniam condendi S. corpora, corpus Domini sancti Sanctorum exemplar fuit cæterorum. Video Colonia, video Treuitis, video alibi, audio in toto orbe Christiano SS. corpora poni in monumentis gloriosis, etiam de petra excisis, sæpe & de argento & auro cufis.

**B**enedictus es tu, Beate Ioseph, à Domino. Tuo facto & sanctè fecisti, & exemplum dedisti. Te secuti sunt populi fideles, sanctos in honore sepelierunt non solum in tumbis lapideis, sed etiam in cryptis & cœmiterijs. Tu cryptam effinxeras 8, pedes longam, 8 latam, 8. altam, figuram omnino cubicam, hanc tu cum loculo æquè lapideo tuo donasti & cessisti Sancto Sanctorum, propterea tibi vicissim parauit idem Dominus mansionem æternam, in regno cælorum.

§. 263. *Et aduoluit lapidem ad ostium monumenti. v. 46.*

Vetus ratio & mōs est non solum corpora quæ animarum humanarum olim fuerunt habitacula, pro merito suo vel honorificè, cum bene egerunt recondere, vel in contumeliam, si male vixerunt, exponere, sed etiam honeste recondita munire, contra bestiarum incurfus, aut hominum insolentiam. Idem noster Sancti Sanctorum vespillo curauit aduoluto grandi saxo ad ostium monumenti Dominici.

**O** Beate Ioseph, ego in te, quanto plus considero acta tua, plures & plures prudentiæ Christianæ & pietatis eximix laudes reperio. quocirca tibi ex corde gratias ago quod non solum Dominum meam tam pulchre sepeliisti, sed etiam Christianos Catholicorum motes tam insignes es orditus. Ego te veneror tanquam Fundatorem Ordinis noui in Ecclesia Christi, nempe ex pietate sepelientium mortuos in Domino.

§. 264. *Maria autem Magdalene & Maria Ioseph aspiciabant vbi pareretur. v. 47.*

Hæ duæ mulieres, Maria scilicet Magdalena nobilis ex Magdalo prope Capharnaum, & Maria Ioseph mater Domini, à desponsato sibi no-